



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Prima Scribendi Origine Et Vniversa Rei Literariæ
Antiqvitate**

Hugo, Hermann

Antverpiæ, 1617

Cap. XXIII. De notis Censoriis. De Tabulis Cæritum. Quid συλοκοπειν
Athenæo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71265](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71265)

CAPVT XVIII.

De notis Censoriis.

PROVERBIO nobiles sunt Censorum notæ: non solum si per notam, intelligas ignominiam, vt Festus accepit; sed etiam si pro notâ, siglum capias, aut literas singularias. Vnum Liuium testem laudare possum lib. xxxix. cuius verba apertè de notis propriè dictis; cum omnium ferè aliorum testimonia magis faciant pro notâ μεταφορικῶς; significante infamiam. Sic habet Liuius: *Patrum memoriâ institutum fertur, vt Censores motis à Senatu adscriberent notas.* Quamquam & Suetonius satis clarè scribit, Claudium adhuc Censorem, rogatum vt notam alicui appositam deleret; respondisse, *Ita tamen vt maneat litura: vbi manifestè alludit ad notam à Censore scriptam.* Hinc celebrantur Cæritum tabulæ vulgari adagio: apud Horatium lib. i. Epist. vi.

———— & *Carite cerâ*

Digni. ———

Erant eæ tabulæ, in quas à Censoribus referebantur ij qui fuerant priuati suffragio. Quemadmodum Cærites primi quidem fuerant facti Romanorum municipes, sed sine iure suffragandi, vt auctor est Gellius. Extant & apud Græcos moris non absimilis quædam vestigia, cum nempe improborum nomina ad infamiam in publicis columnis adnotabant; vnde *συλοκοπεῖν* Hesychio est idem quod infamiâ notare. & apud Athenæum lib. vi. Polemon quidam vocatur *συλοκοπᾶς*, hoc est, columnæ ad probum inscriptus.

CA-